

fissimi recentissimum inventum, aliaque quam plurima elegantissima instrumenta hoc seculo excogitata, & vel subtili artificio, vel ipsa facilitate commendatissima, festinata transfiliat oratio.

Monet enim tempus, ut è variis illis, quas adhuc perlustravimus, Artificum officinis pedem nunc tandem referamus, & in apricum prodeuntis erectum ad sidera vultum tollamus; visuri, quidnam in cœlo hucusque detexerint armati hodiernorum Astronomorum oculi. Ac, ut à sole, qui astrorum obtinet principatum, initium ducamus, postquam per vitra, coloratis præsertim lentibus ocularibus instructa, faciem ejus quasi cominus intueri impunè licuit, apparuit ad oculum, *Solem* quidem globi figuram habere, eamque satis lævigatam, non esse tamen substantiæ solidæ penitus, & consistentis, sed saltem ex parte fluidæ, ita ut ad instar metalli fusi ebullire distinctissimè cernatur. Cumque jam inde à vetustissimis temporibus purissimæ substantiæ creditum esset solare corpus, utpote cœleste, sub hujus seculi initium *Christophoro Scheinero* primùm, omnia alia quidem expectanti, & post hunc *Galileo*, aliisque Astronomis magni nominis, atque adeò nuper admodum quam plurimis, vultus illius modò *maculis* quibusdam obscuratus, modò *faculis* aliquibus quasi fervidiùs elucescens subinde comparuit. Maculæ autem illæ ut plurimum circa partes globi solaris medias, h. e. circa ejus quasi æquatorum reperiuntur, eodemque æquatoris ductu, aut ipsi ferè parallelo infra hemisphærium nobis conspicuum ab oriente in occidentem moventur, visuique nostro modò occidunt, modò de novo oriuntur, & circa medium quidem solis discum velociùs, ad margines verò tardiùs tardiusque ferri deprehensæ sunt. Magnitudo quoque earum apparens (ob manifestissimam rationem Opticam, (34.) in medio amplior, circa margines contractior apparet, vera autem illarum magnitudo, sicut & figura, varia est & inconstans, numerus etiam incertus, cum aliquando plures, aliquando pauciores numerentur, nonnunquam etiam una tantum

tum